

II h  
819

o.k.  
420  
48

CULTVM  
MORTIS

ET IMAGINEM

EX ANTIQVITATE DECLARAT

ET

ORATIONEM

IN MEMORIAM

SERVATORIS REDIVIVI

HABENDAM

OBSERVANTISSIME INDICIT


HENRICVS AVGVSTVS ZEIBICH

ILL. RVTHEN. PROFESS. PVBL.



XXIV, 19. a.





**R**edit ad superos Triumphator, Morte ignominiosissima atrocissimaque feliciter defunctus, atque hac uictoria gloriosa omnes ipsius uires infregit, terrores eius minuit, sociosque suos in eam cogitationem adduxit, ut illam nec amplius timeant, nec, uelut dirum quendam et execrabilem aduersarium, detestentur, sed honorent potius et ament, uicem ad perpetuam felicitatem quam maxime fidelem, ipsius Christi obitu consecratam

Fuit iam olim, quod mirere, antiquissimis populis haec opinio haud ridicula, magnos Morti honores deberi, ad eamque colendam cum uariis diuersisque permouerentur rationibus, templa eidem extruenda, laudes ipsius praedicandas, memoriamque eius publicis statuis ac monumentis propagandam, censuerunt. Neque uero id sibi persuadere potuit Natalis Comes (a), ac Deae huic uictimas, templa, sacerdotes, desuisse credidit, oblitus sine dubio, paulo ante de gallo, sicut Marti et Aesculapio, sic et Morti, immolato, mentionem fecisse. Quod si autem precibus nullis et sacrificiis, ut credit idem, crudelitas eius placaretur, aequo profecto minus Parcisi, Plutoni, Faeto, aliisque erat numinibus res diuina facienda, quorum nempe mandatis resisti nulla ratione poterat, sed quoquo modo res se habebat, uel aequo animo uel inuito, obtemperandum. Nos quidem Mortem diuinis ornatum honoribus fuisse, inculenter demonstrabimus, eosque dum explicare suscipimus, illud ante omnia praecipuum uidetur, neque iusta, mortuis perfoluta, sepulturamque honestam, nec Plutonem, Proserpinam, aliosque Deos Inferos, a nobis indicari, sed animi ipsum discessum a corpore, huiusque conditionem ab animo segregati. Hic abitus ex oculis hominum, atque hic status luctuosus, nostram in se conuertit mentem, insigni olim dignitate affectus

Aedes igitur, quod primum a nobis exponendum est, consecratae Morti fuerunt, in eiusque cultoribus Spartani, cum in omnibus suis ritibus et institutis, tum in hoc pessimum, singulares, principatum obtinuerunt, quorum alii pressisse deinceps uestigia uidentur. Fidem faciat Plutarchus, bonus probatusque auctor (b). *Ἔστι δὲ καὶ λακεδαιμονίους ἔφοβου μόνον, ἀλλὰ καὶ θανάτου, καὶ γέλατος, καὶ τοῖς ἄλλων παθημάτων ἰσθῆ.* Sunt etiam et Lacedaemoniis non timoris modo, sed etiam Mortis, et risus, et aliarum talium affectionum, templa. Cur autem, quae lo, has inter se affectiones coniungit, mirum in modum diuersas, ut existimo, ac uehementer discrepantes. Equidem, cum ipse statim reddat rationem, qua ducti timorem colant Spartani, haud leuia mihi auctor argumenta habere, quibus, cur Mortem una

A

(a) Natal. Com. III. 13, p. 235.

(b) Plutarch. Tom. I. p. 808.

eum metu tenerati fuerint et risu, demonstrare possim. Liberat nempe ab omni improbitatis suspicione Lacones, dum metui diuinum praestitisse cultum tradit, non quod, sicut, quos detestentur, Daemonas, noxium existiment, sed, quod rempublicam inprimis opinentur contineri timore. Aberant igitur longissime a uana peruerlaque Lucretii sententia, metum parentem omnium Deorum genitoremque arbitrati, quo homines, superstitione imbuti, hoc ueluti freno gubernari debeant, et ad regum tyrannorumque uoluntatem flecti. Salutarem potius intelligit timorem, quo Deos nempe, ac leges maxime, securitatis publicae uincula firmissima, prosequantur, quod harum legum si horrore quodam sacro recordentur, tantum ablit, ut eas effrenata audacia uiolent, ut potius summo studio, et alacritate praecipua, exequantur. Iam omnes fere leges ad fortitudinem spectabant, hac ab incunte pueritia exercebantur iuuenes, hac uiri sola famam gloriamque immortalem, et munera amplissima, consequi posse sperabant. Sed, nam uirtute excellit, qui Mortem turpitudini sibi ducit, praestantiam eius, pro patria subeundae, non intelligit, magnoque semper de eadem cogitat horrore? Minime uero. Infigendum igitur hoc erat Spartanorum mentibus, eximum esse bonum Mortem, nullo modo contemnendam, sed plurimi faciendam, idque quo facilius persuaderent ciuibus suis, ipsam publice honorabant, templumque ei extruebant. Itaque et Lacedaemonii, eodem Plutarcho auctore (c), mori pulchrum censebant, acerrimis gloriae stimulis a iuuentute prima incitati. Risus uero praeterea colebatur, seu, ut equidem puto, animus strenuus, omnium periculorum irrisor, calamitatum omnium contemptor, qui rideat, etiam si in mortis haerere faucibus uideatur. Lycurgus enim lege sanxerat, ne quis inter Spartanos ciuitatus audiretur (d). Ex quo et feminae, prolatis in carum conspectum filiorum suorum, fortiter cadentium, corporibus, non lacrymis modo omnibus abstinebant, sed etiam graui uultu, magnamque sibi, ob liberorum suorum uirtutem, arrogantiam sumentes, incedebant. (e) Satis ex his apparet, conspirare omnia inter se eleganter, quae de timore, Morte, et risu, commemorauit Plutarchus. Miror tamen uehementer, nullam huius templi, in honorem Mortis extructi, mentionem facere Paulaniam, exploratorem alias locorum omnium, ad memoriam insignium, maxime solertem, etsi Mortis haud praeterierit simulacrum, deinde memorandum. Veniamus ad alteram aedem, quam extremis terrae finibus, ut iactabatur perumque, Morti consecrauerant Gaditani. Testem cito Eustathium (f), sed ad aliud

(c) Plutarch. p. 278.

(d) Plutarch. Lycurg. p. 56.

(e) Aelian. Var. Hist. XII. 21.

(f) Eustath. ad Dionys. uers. 456. p. 88. ed. Hill.



longe grauioris scriptoris testimonium prouocantem. Αἰλιανὸς δὲ ἐν τοῖς περὶ προνοίας Φησίν, ὅτι ἐν Γαδείροις βωμὸς ἐνιαυτῷ ἰδρῖται — ἔστι δὲ καὶ γερῶν, Φησίν, ἱερὸν, καὶ θανάτου ἄλλο, εἰς γέρας τῇ κοινῇ ἀναπαύσει ἔθην τοῦ τελευτήσαντος ὄρω. Aelianus in libris de prouidentia ait: Gadibus esse aram anno dicatam. — Est uero etiam templum senectutis, et aliud Mortis, in honorem communis quietis, uel ultimae stationis. Nihil hic uideo a Perizonio (g) disputari, quod lucem huic loco afferat, obscuritate quadam inuoluto. Ego uero scire peruelim, quid tandem impulerit Gaditanos ad hoc consilium, cuius grauissimas sine ulla dubitatione habuerint rationes. Interim, omnibus prope destitutus subsidiis, coniecturis, neque eas in tanta nocte quis contemserit, angurabor. Aedificauerant, teste Strabone (h), aedem Saturno, quid igitur mirum, si et Morti, quae omne finit uiuendi tempus his in terris, parem exhibuerint pietatem? Senectutem colebant, nonne igitur senectutis extremum et apicem, Mortem, magni aestimariunt? Quod si se flores Gadium solem inprimis urbe sua occidere putarunt, unde eleganter solis cubilia dicit Gades Statius (i), uitae etiam occasum obitumque diligenter in memoriam reuocantes, huic sacra facere potuerunt. Imo uero, cum Herculem in Diis principibus numerarent (k), qui et suo hanc urbem nobilitauerat aduentu, et columnis a se positis metam itinerum suorum fixerat, huius potissimum morte comperta, qua, ex opinione profanarum gentium, ad ueram demum requiem peruenisset, portumque omnium calamitatum intrasset (l), permotos fuisse colligo ad hanc aedem erigendam. Id si nobiscum perpendimus, sapientes sane censemus Gaditanos, qui eam extulerint laudibus, ipsique, uelut Apollini onidam, aut Herculi, monstrorum dormitoribus, Diisque Auerruncis, Paeanas decantarint. Refert haec Philostratus (m), sed, dum inquit, τὸν θάνατον μόνον ἀνθρώπων παιανίζονσαι, a uero sane aberrauit, quippe qui, et Spartanos, ut supra diximus, eundem tenuisse morem, tanto facilius tenere poterat, quanto clarius hos Gaditanos a Graecis originem duxisse confirmarat, ita ut nos in eam opinionem traducat, a Lacedaemoniis, ubique ob religionem castam et puram, ritibus profanis si eam metiamur, Gadium incolas hanc consuetudinem forsitan accepisse. Dum autem Paeanas ipsi cecinisse tradit, non sane preces supplices, ut arbitratur Celeberr. Lefringius

(g) Perizon. ad Aelian. p. 975.

(h) Strabo lib. III. p. 117.

(i) Statius Silu. III. 2.

(k) Cellar. Notit. orb. antiqu. T. I.

p. 124.

(l) Sic mors uocatur a Tacito Hist.

IV. c. 58. Plinio H. N. XXV. 1.

Cicerone Catilin. IV.

(m) Philostrat. uit. Apoll. V, 4. p. 190.

gius (*n*), sed potius praeconia intelligit eamque tribuit huic uoci uini, quam creberrime obtinet scriptoribus antiquis (*o*). Nec uero aegre ferimus, et Vossium praestantissimum (*p*), et Winckelmannum, (*q*) longiori uita dignissimum, cuius mortem quam diutissime lugebunt Musae, auctoritate Philostrati abreptos, eandem esse sententiam ingressos, solisque Gaditanis hanc Mortis reuerentiam uindicasse. Num Romani extruxerint ipsi templum, magno opere dubito, etsi Libitina ista, satis ubique celebrata, suspicionem praebere possit pietatis, huic olim Deae a Romanis praeslitae, quae tamen, si Plutarchum consulas (*r*), ab ipsa Morte est longissime secernenda, propterea quod ad Deos refertur inferos, siue Persephone, siue, ut Quiritium credant eruditissimi, Venus ipsa. Quanquam igitur Horatius (*s*) eandem Mortem explicare uideatur, illa tamen, quae concessa Poetis est, utitur libertate, nec testis idoneus incorruptusque citari debet. De qua cum multa disserere possimus, tamen argumento huic minime coniuncta praetermittemus.

Quod si templa olim Morti prisca erexit superstitio, nullane in ipsis huic Deae, tam atroci, tam, ut aliis uidebatur, benignae, ac praeclare de genere humano merita, oblata sacrificia fuerunt? Ita certe complures animum inducunt, Virgili uerbis permoti, quae, ut ipsi ferant lectores iudicium, apponam (*t*)

Hinc alii spolia occisis direpta Latinis

Coniiciunt igni — —

Mula boum circa maectantur corpora Morti.

Narrat nempe Virgilius, Troianos, acerbissimo hostium suorum odio inflammatos, eorum spolia, ad explendam iram suam, placandosque Deos inferos, coniecisse in ignem, quo corpora patrum suorum, rogis imposita, comburerentur, simulque tauros Morti immolasse. Iam si haec negligentius legas, credideris sane, Deae huic inferias maectari, affirmante potissimum Pontano, haud spernendo natis huius interprete, qui in subsidium uocat Lacones, de quibus iam uidimus, Orphea, thure sacra Morti facientem, et Mortuam praeterea, Parcarum quandam, hoc est, ipsam Mortem, diuinis honoribus ornata.

A 2

(*n*) Lessing: Wie die Alten den Tod gebildet p. 8. (*q*) Winckelmann Monumenti antichi. p. 81.

(*o*) conf. Aeschyl. Agam. 87. Seruius ad Virg. VI. 657. Cuperus Ob-

(*r*) Plutarch. T. I, p. 67.

feru. I, 1.

(*s*) Horat. III. 30.

(*t*) Virg. Aen. XI, 193.

(*p*) Voss. Theol. gentil. III, 20. p. 321.



ornatam. Sed, ut taceam, et Troianis Lacedaemonios ritus uniuersos ac singulos uindicare non posse, cum hi ab aliorum Graecorum quam plurimum recesserint institutis, et Orphea falso Poematum, quae sub eius circumferuntur nomine, auctorem haberi, et Mortam iniuria censerit Mortem, quippe quae Parcarum fuit una, Morti Fatoque communi praefecta, non Mors ipsa, contextus sane orationis clarissime declarat, non Morti, sed mortuis, hoc est, honori mortuorum, has fuisse uictimas maclatas. Pari ratione Plinius aliquando (u) eleganter, *Mors*, inquit, *pendit laqueo*, mortuus nempe, quam uocem compluribus annis ante iniuria tentandam putauimus, grauitate filii Pliniani minime perspecta, cum et ipse Cicero ab hac loquendi ratione non abhorreat, ut cognouimus deinceps. (x) Aut Mors designabit Plutonem, graece *Αδην*, cui inprimis sacrificia pro mortuis offerebant, ut eorum propitius esset manibus, hosque a suppliciis quam celerrime liberaret. Recte igitur et Seruius et Taubmannus dubitant: *Aut in Morte aut Morti*, nihilque ualet hic locus, praesertim cum nusquam alias reuerentiae huius, Morti exhibitae, Maro iniecerit mentionem. Ex uita praeterea discesserant iam dudum, ob eamque rem abitus ipsorum, quem tamen nos potissimum designamus, intelligi non potest, corpora autem adhuc integra erant, nec putredine consumpta, ex quo nec statum ipsorum extremum, quo omnia dissoluntur, ac sola supersunt ossa, declarari patet. Nihil tamen fecius laudibus Mortem gentes extulerunt, et praestantissima ipsi praeconia tribuerunt. Egre sibi peperit gloriam Isocrates discipulus, Alcidas, Rhetor antiquus, et nobilis, qui, teste Cicerone (y), laudationem Mortis scripsit, quae consistit ex enumeratione humanorum malorum, iam feliciter finitorum, eademque, si elogium spectes, in orationibus Stephani graecis reperitur (z), sed si Tzetzi fidem habeas (a), qui, ut ipse testatur, et scripsit, et scribit, et dicit, quotidie encomia mille Mortis, huius iam memoria non amplius extitit inter eruditos. Tum hymnis, qui Orpheo assignantur iniuria, Mors inter alia numina celebratur (b), sed infamatur potius, quod animum corpusque aeterno somno extinguere, et omnia terminare, perhibetur, ideoque, ut quam tardissime appropinquet, prosperamque prius concedat senectutem, rogatur. Recte autem ex Platoniorum sententia iudicat Philostratus (c), non dotendam esse Mortem, sed colendam et uenerandam, *ὅτι πένθητόν τὸν ἀνάσσειν, ἀλλὰ τιμητόν, καὶ σεβασέον*, quoniam Deus fiat ex homine, longeque hic tum maiori felicitate potitur. Hy-

mnis

(u) Plin. H. N. XIV. 19.

(x) Cic. pro Milon. c. 32.

(y) Cic. Qu. Tusc. I. 48.

(z) H. Steph. orat. gr. p. 131.

(a) Tzetzes Chil. XI. 753.

(b) Orph. hymn. 86.

(c) Philostr. epist. 58. p. 402.

muis igitur decorabant Mortem profanae gentes, ipsam inuocabant saepius, Plinio auctore (*d*), et Deam appellabant. Sic certe Hesychius. *Θανάσιος, τε Θεός, καί, ὁ πάροικος, ἴελος*. Sic Suidas. *Μόνος γὰρ Θεῶν ἔδ' ἄρων ὄρα. Αἰσχυλός*. Obscurum cernis locum et impeditum, quem putes ex Aeschyli quadam tragoedia deproptum, et forsitan in luce colloces meliori, si pro *ἄρων* legas *ἄρων*, terminos, fines, non uidet, hoc est, nunquam fatiatur, sed nullis circumscripta limitibus dominatur, seu *δάρων* potius, nulla respicit munera, nullis donis placatur, ut Orpheus uulgo sic dictus confirmauit. Postremo Phoenices Mortem habuisse sanctam, Sanchuniathon iam pridem, si Eusebium consulas (*e*), scriptum reliquit, Mortem hebraico, quod mireris, nomine appellari testatus. *Παῖδα ἀπὸ Ρέας ὀνομαζόμενον Μουθ ἀΦιερόι, Θάνατον δὲ Ἰβρίων καὶ Πλεβόνων Φοίνικες ὀνομαζέουσι*. Legis Mortem Muth dictam, sine controuersia ab hebraico *מוּת*, quem Phoenices, id est, Graeci, a Phoenicibus oriundi, *Θάνατον* dicunt et Plutonem, sed eam simul in Deorum relatum numerum conspiciat. Quid, quod habebat statuam Lacedaemone una cum somno (*f*), cui saepe similis fingebatur, quemadmodum nunc uberior differemus

Iam si monumenta antiqua, quibus Mortem repraesentari cernimus, considerare uelimus, generatim prius pauca de imagine ipsius, picturis, simulacris, et statuis, prius expressa, exponemus. Quod dum suscipimus, non possumus, quin Lessingii (*g*), Viri Celeberrimi, commentationem, nuperime editam, attingamus, quae, cum haec prope ad finem perduxissemus, ad oculos demum nostros peruenit, tanto sane nobis dignior, quae perpendere-  
tur, uisâ, quanto studiosius incundissimam semper amoenissimamque a ueteribus Mortis imaginem effictam fuisse arbitratur. Cui rei ut fidem faciat, his possimum nititur argumentis, quae, num sententiam ipsius firment, ea, qua decet, modestia, et simplicitate, quo intelligamur, facilius, uideamus breuiter, solius ueritatis studio adducti. In ea nimirum opinione uersatur, Mortem semper, tanquam consanguineum somni, huius speciem in antiquis signis prae se ferre, propterea quod artifices ad Homeri exemplar imaginem eius conformarint, ab eoque instituto, semel suscepto, haud facile deflexerint (*h*). Equidem dubito uehementer, num his cum ueritate conueniat, cum neque artifices sic Deos Deasque semper, ut Homerus proposuit, repraesentarint, neque Homerus eam nobis ipsorum constantem reliquerit effigiem,

(*d*) Plin. H. N. VII, 52.

(*e*) Euseb. Praepar. Euangel. I, I.

(*f*) Paul. III, 18. p. 253.

(*g*) Lessing: Wie die Alten den Tod gebildet.

(*h*) Lessing, p. 5. 6.



em, qualem in antiquis monumentis reperimus. Fingitur nimirum Iupiter cum caduceo, et ueste stellis distincta, Iuno cum corde humano et arcu, lac e mammillis emulgens, Mercurius cum claua Herculis, Minerva cum fulmine, Hercules Musagetæ cum cithara, Bacchus cum monocrotæ, ut alia prætermittamus (i). Num hæc unquam numina sic ab Homero descripta recordaris? Num his fictionibus ideas Deorum, ex Homero conceptas semel, eorumque proprias, artifices expresserunt? Præterea, quibus tandem statuis uel picturis Apollo niger (k), Vulcanus pocillator (l), Iupiter ægide, clypeo, munitus (m), ut transeam reliqua, spectantur? An uero Venus semper comata, Neptunus semper terras concutiens, Apollo semper iaculator, (nam hæc sunt trita illa et peruulgata cognomenta, quæ recte ridet Trillerus (n),) in spoliis antiquæ supellectilis proponuntur? Num igitur perpetuo, ut Laocoontis laudator censet, eundem tenuere morem artifices, et, qua forma semel numen fictitium, ea semper, fixerunt, nec unquam a pristina sua consuetudine recesserunt? Id si est, unde tam uariæ, diuersæ, multiplicesque imagines, tam sæpe numero obscuræ, ut cognosci uix explicarique possint? Ruit hic uniuersum, nisi fallor, fundamentum, quo Vir Præstantissimus suam superstruxit coniecturam, totumque ruit ædificium, firmamento haud stabili constitutum. Quod si igitur artifices non semper Homero presserunt uestigia, quidam, et in morte fingenda, libentius sibi indulserint, quanquam, ut deinceps faciam testatum, naturam potius fuerint, quam *Φαντασίαν*, secuti. Potterunt, fateor, Mortem ob oculos ponere tanquam somnum, quod gemini ab Homero feruntur fratres, sed quis huic exemplo tam addictos deuotosque credat, ut nunquam aliam speciem ei dederint, præsertim consentaneam naturæ. At Paulaniam testem citat Lessingius (o), ab eoque statuarios exemplum putat petiisse, quomodo in figuranda Morte uersarentur. Est sane locus egregius, quem, aduersus coniecturam quandam defensori, ut lectores ipsi statuere possint arbitrio suo, exhibemus (p) *Πεπότησαι γυνή παιδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνέχουσα τῇ δεξιᾷ χειρὶ, τῇ δὲ ἐξέρα μέλανα ἔχει παιδα, καθεύδοντι εἰκοῖσα, ἀμφότερος διεστραμμένους τὰς πόδας; Δηλοῖ μὲν δὴ καὶ τὰ ἐπιγράμματα, συνείναι δὲ καὶ ἀνευ τῶν ἐπιγράμμάτων ἐστὶ, θάνατον τε εἶναι σφᾶς καὶ ὄπνον.* Vides mulierem, quæ puerum album dormientem dextra manu sustinet, sinistra nigrum, similemque dormienti,

(i) Montfaucon Antiquit. Græc. et

Rom. in compend. redact. a Scha-

tizio et Semlero Tab. IV, n. XII, 5.

XV, 4. XVI, 15. XXVI, 3. XXVIII, 4.

(k) Homer. Il. A. 47.

(l) Il. A., 584.

(m) Il. B. 157.

(n) Triller præfat. ad Grot. Ies. pat.

(o) Lessing p. 5.

(p) Pausan. V., 18. p. 422.




menti, utrumque pedibus disiunctis. Declarant autem epigrammata, quibus nec adiectis res tamen pateret, Mortem esse et somnum. Colligit ex hoc Lessingius, Mortem semper tanquam somnum effingi, cum eius frater dicatur, et Lacedaemone dormienti similis statua fuerit reperta, ob eamque rem non, ut scelerum, repraesentari (g); quod sibi persuaserit falso Klotzius, singulari sane antiquitatis peritia, multiplicique eruditionis copia, vere illustris. Optassem, Vir Clarissimus hunc locum, quo, uelut praesidio firmissimo, nititur, accuratius indagasset, in tantisque tenebris lumen nobis accendisset, quod spissam dispelleret caliginem, qua, uelut nocte, hi gemelli teguntur. Meminit Pausanias et albi pueri et nigri, uter ex his duobus Mortem repraesentauit, candidusne an ater? Dubitat ipse Lessingius (r), nihil interesse censet, utrum Mors alba, an nigra, proponatur, ad extremum tamen albo sub puero Mortem fortasse designari sibi persuadet. Miror hoc, cum Euripides, a Viro Cl. in subsidium uocatus, μελαμπηλον ἀνάκλα νεκρῶν appellet Mortem, et Poetae plerique nigras tribuant ipsi alas, Hesychiusque θανάσιο μέλιν νέφος attingat. Equidem, subductis omnibus rationibus, album puerum somnum, nigrum Mortem, indicare existimo, tum, quod illum dicit Pausanias dormientem, hunc dormienti similem, quod profecto, cum inter utrumque discrimen quoddam intercedere debeat, ad somnum referri non potest, quis enim dormientem dormienti similem uocabit, tum, quod dextra manu, qua prius quid, quam sinistra, comprehendere solemus, album puerum complectitur mater, ad declarandum sine dubio, somnum antecedere, sequi Mortem, quam ob causam et ipse Pausanias primum album, deinceps nigrum, memorauit. Nec uero nostrum turbet animum, quod idem scriptor, has explicaturus imagines, initio mentionem faciat Mortis, deinceps somni, uitur enim figura, graecis usitatissima, χιασμῶ, qua prior uox propositionis posterioris ad posteriorem prioris, posterior ad priorum huius, pertinet. Ac, licet, quod haud infertior, pallida saepe numero a poetis, et ab Nonno, somnus μελανόχρους, nominetur, facile tamen perpicitur, confudisse saepius poetas ob cognationem proximam, atque inter se, permiscuisse. Sed habet uterque διαστραμμένους πόδας. Pausanias hoc testatur, quo loco haud ἔχον/α supplendum, ut contra omnem loquendi rationem Graecorum, minime tacentium hanc uocem, existimat Lessingius (r), sed κατὰ, quod idem sapienter monet. Reprehendit hic interpretem (t), qui distortos pedes conuerterat, et transuersim positos, (Veber einander geschlagene Fuesse) interpretatur, quod eo soleant modo dormientes, co-

B

demque

(g) Lessing, p. 5, 6, 7.  
 (r) Lessing, p. 77, 78.

(s) Lessing, p. 24.  
 (t) Lessing, p. 17, 19.



demque situ semper somnus antiquis in monumentis exprimitur (*u*). Miror, haec a Lessingio eruditissimo scribi potuisse, cum et in ipso titulo antiquam imaginem uideam proponi, qua dormiens, non mortuus, ut demonstrabitur posita, seiunctis pedibus, in terra iacet reclinatus. Cumque ipse et mortuos transuersis pedibus semper opinetur inueniri, consulisset, uellem, antequam haec litteris proderet, Montefalconem (*x*), Boissardum (*y*), Kircherum (*z*), et Cuperum (*a*), ex quibus seiunctis pedibus proponi mortuos cognouisset. Seiunctos autem dico, qui non transuersim positi sunt, sed ita, ut alter iuxta alterum extendatur, etiamsi proxime se attingant, ideoque coniuncti etiam dici possint. Erat enim hic mos, antiquis gentibus receptus, disiungere pedes uita defunctorum, ut ex Euripide apparet (*b*), et Casaubonus comprobauit (*c*). Nunquam equidem crediderim, si dormientes quoque interdum obliquis fingantur pedibus, quod non nego, nunquam crediderim, mortuis eundem tribui habitum, cum satis constet, hos eodem modo, quo infantes, hoc est, diductis quidem, sed non transuersis, pedibus uinciri consueuisse (*d*). Quid igitur sunt *διετραμμένοι πόδες*? Quid aliud, ac seiuncti, ubi alter iuxta alterum, non oblique positi, quiescit. Confirmat hoc Etymon uocis. Vt enim *διαλέω* dilseco, *διαγγέλλω* diuulgo, *διακλάω* diffringo, *διακρίνω* distinguo, *διαλύω* dissoluo, *διαμερίζω* distribuo, et alia sexcenta, sic *διασπένω*, proprie, in diuersas partes conuerto, seiungo, non alterum alteri implico et impono. Confirmat Pollux (*e*), apud quem *διασπρόφοι ἴδης πόδας κύνες* occurrunt, certe non pedibus obtortis et transuersis, sed secretis, et foras protensis, currentes. Confirmat Helychius. *Σκέλον, διετραμμένον, σκέλισμα, δρόμημα*. Qua ratione uero transuersis pedibus currere quis posset, nisi exiliret ut graculus? Recte hinc Salmasius *σκέλισμα* et *διετραμμένον* explicuit de diductione pedum, idque Graecis dici quoque *διαβαίνειν* obseruauit (*f*). Itaque Helychius. *Διασπρόφονη, διαπρόφονη*, hoc est, diuersas abiens in partes. Latini diuaticare pedes dicunt (*g*), imo uox, diuertere, eandem habet potestatem, ut Lucano (*h*) diuertuntur acies, seu diuersas in partes dissipantur, et Plauto (*i*) homo

(*u*) Lessing. p. 18, et 21.

(*x*) Montfaucon Tab. CXXVII, 1.

CXXXI, 1. CXXXIV, 6.

(*y*) Boissard. Topogr. Tab. 87.

(*z*) Kircher Spbing. Mystagog. p. 6.

(*a*) Cup. Obseruat. p. 206.

(*b*) Eurip. Hippolyt. u. 786.

(*c*) Casaub. Lect. Theocrit. Cap. I, p. 241

(*d*) Artemidor. I, 14.

(*e*) Pollux l. V, c. 62.

(*f*) Salmaf. ad Solin. p. 945.

(*g*) Ammian. Marc. XXII, 28. Cassi-

odor. VI, 6. Cic. Ver. IV, 40.

(*h*) Lucan. II, 459.

(*i*) Plaut. Milit. V, 14.



homo diuersus est distractus atque distentus. Aequè eleganter diuersae regiones uocantur locorum spatio seiunctae. Cum igitur paucissimi homines transuersis pedibus dormiant, cum mortui seiunctis potius proponantur, cum ipsa uocis huius haec sit propria uis, in sententiam ire Lessingii nullo modo audemus, tot argumentis hanc refellentibus coniecturam. Concedemus tamen, ut liberales simus, dormientibus hunc situm, nunquam mortuis concedemus, id quod, ut ante dixi, omni antiquitati aduersatur. Hac subruta columna altera, totum collabitur aedificium, haud firma fatis rupe excitatum. Num enim Mors et somnus uno plane eodemque modo sistuntur, ut ille sibi persuadet (*h*), num omnes eam artifices, Pausaniam secuti, obliquis pedibus expresserunt, nec unquam, uariis adducti causis, aliter figurarunt? Ergo et semper Mortem tanquam nigrum repraesentarunt iuuenem, nam sic describitur a Pausania, quod tamen ipse Lessingius difficulter largietur (*l*). Tantum igitur abest, ut perpetuo Mortem somni similem speciem antiquis signis prae se ferre existimem, ut potius diuersam haec numina imaginem praebuisse putem, sicut ille, requirit (*m*). Nihil probat Pausanias, qui negat aequalem fuisse Mortem somno, dum alterum puerum album, alterum nigrum, appellat, sed tamen iuxta se constitutum utrumque, quoniam gemini fuerint perinde, ut Apollo et Diana, Castor et Pollux, gemelli, saepe numero coniuncti inueniuntur numismatis, sed tam diuersis simul notis, ut facile possint distingui. Ad haec illae, quas aeri imprimendas elegantissime curauit Lessingius, figurae multiplici sane explicari ratione enodarique possunt, cuius rei periculum breuiter faciemus. In elogio conspicitur, opinante Viro Doctissimo, cadauer, eique insisit alatus quidam iuuenis, dextra et capite inuersa face innitens, sinistra sertum cum papilione tenens. Quis hic, quaelo, iuuenis? Mors est, Lessingio iudice, non Amor, ut existimauit Beliorius, nam qui tandem hic affectum extinguere posset in animo, quem incendere tantum soleret (*n*), neque Genius est, quippe qui Morti modo uicinos homines deserit, ob eamque rem neque iuxta mortuum nere iam hominem stare potest. (*o*) Videamus singula. Largitur igitur, iacentem uerum esse cadauer, idque num accurate sit pronuntiatum, deinceps inquiremus. Sed hic mortuus disiunctos habet pedes, non obliquos, seu transuersim collocatos, quid hic Lessingius respondebit? Tum uero, si stantem iuuenem pari modo Mortem sistere nobis persuadeamus, nihil sane mirabilius fingi posse arbitramur. Quis enim uno simulacro rem unam eandemque bis, et diuersa longèque dissimili imagine, proponet? iacens, et stans, homo, disiunctis

B 2

et

- (*h*) Lessing p. 25. (*l*) Lessing p. 78. (*n*) Lessing p. 10, 11, 12.  
(*m*) Lessing p. 9. (*o*) Lessing p. 16.



et obliquis pedibus, nudus omni instrumento, et face instructus, rem unam, nimirum Mortem, designabit? Qui haec inter se comparare poterit et conferre, nae hunc ego magnum Antiquarium praedicabo. Et cur, quaeſo, uel Amor, uel Mortis tutelaris, esse non possit, Amor quidem, qui inuersa face doleat, omnem iam sibi ereptam esse potestatem, iucundam hanc in animo mortui, uel moribundi, commotionem excitandi, Genius autem, qui moribundum hunc, (nam uere iam esse mortuum nemo contendere sacramento possit) postremum aspiciat, iam iamque ab eo discessurus. Interim, ut dicam, quae sentio, somnum potius reor, fratrem Mortis, illum, qui papilionem tenet et sertum, declaraturus nimirum, fore, ut iacens in terra somno hoc supremo incidat in Mortem, coronamque accipiat uirtutibus destinatam. Sic omnis facile repugnantia euanescit, quae ex opinione Lessingii nimis elucet. Quod initio libelli splendet, simulacrum, aequae minus mihi uidetur Mors, ac paulo ante explicatum, etsi Lessingius appropinquans censet Fatum denotari (*p*). Sit ita, stat haec Mors, at, dimotis pedibus, ut ipse concedit, itaque ante dicta luculenter refellit. Ego uero nusquam hic Mortem uideo, idque uariis, nec, ut opinor, leuibus, argumentis adductus, quae statim recensebo. Serpit humi papilio, qui, si mortuum indicat, in sublimi semper uersatur, animumque, iam e corpore profectum, et subtiliori uestitum corpusculo, declarat (*q*). Facem gerit, nondum in terra defixam, qualem reliquis in signis (*r*), sed ad latus femoris sinistri, ingentem adhuc flammam spargentem. Tenet, non urnam, ut existimat Lessingius, (*f*), nam haec longe est aliter comparata, sed uas, quo lacrymae propinquorum seruabantur, (*t*), ob eamque rem, nullo modo Mortis continet insigne (*u*). Quae autem sit haec imago, diiudicare non audeo, nisi forte Genius est, qui appropinquantem Mortem nuntiat, non Mors ipsa. Tabula prima uidetur sibi Lessingius iterum hoc Lethum inuenire in statua uitili, transuersis stante pedibus, et in terra facem deponente, litteris supra ascriptis: Somno Orestilia filia. Somno, hoc est, Morti, ut ingeniose explicat (*x*). Sed, pace Antiquarii sagacissimi, si rota distinguit Mortem clarissime a somno (*x*), profecto femina, quae in altera parte huius monumenti extat, a Lessingio plane praetermissa, Mors erit, quippe quae hanc rotam ad pedes habet abiectam, inscriptione satis comprobante: Fatis Caecilius, hoc est, Morti occubuit. Valeat enim hic rursus illud, nunquam eandem rem bis uno eodemque monumento

(*p*) Lessing p. 38, 39.

(*q*) Exc. Hiller de papilione serali. (*u*) Lessing p. 41.

(*r*) Lessing p. 29, 31.

(*x*) Lessing p. 25, 26.

(*f*) Lessing p. 33.

(*y*) Beger Spicileg. Antiquit. p. 106.

mento repraesentari consueſſe, Mortem autem, cum Romanis feminei ſit generis, facile ſexu eodem proponi potuiſſe, apparet. Tabula ſecunda iterum ſpectatur iuuenis, obliquis pedibus, et inuerſa face. Num haec ſufficient ad declarandum ſomnum? Quid, ſi Genius eſſet tutelaris, luctum ſuum haud obſcure teſtificans ipſo uultu, perinde, ac femina uelata, altera ex parte, cuius ne mentionem facit quidem Leſſingius, ſacerdos uidetur, inferias ob Mortem Clymenes oblatura, ſed hanc ipſi explicationem largiamur. Tabula tertia duae perſonae, tranſuerſis pedibus, et depreſſis facibus, ſiſtuntur, quarum altera ſomnus, altera Mors, cenſetur. Sed, ſi ſomnum et Mortem iuxta exemplar Eliacum effinxerunt artiſices ueteres, diſtinxerunt ſine dubio notis quibusdam (*y*), quarum hic nullam reperio, ideoque ipſas nec iudico diſcernendas, Genios potius cenſeo duo declarari, quorum ſicut duo inſcriptionem tenent, duo ſub eadem ſe complectuntur amiciffime, ſic hi triſte Valerii fatum deplorant. Quid autem, ſi eſſent Eros et Anteros, Amores, idque ex uariis indiciiſ colligere liceret, cum iaceant ad terram proiecſti arcus, uelut omni uirtute deſtituti, quod Amor in mortuum nullam amplius uim habet, nullamque poteſtatem. Idque tanto certius exiſtimo, quoniam, ſi ruptus eſſet arcus, et nerui ultro citroque diſſipati iacerent (*z*), tum equidem Mortem iucunda hac ſub imagine ob oculos poni putarem. Tabula quarta duo ſunt iuuenes alati, monumentum amplectentes, iidemque rurfus, ex ſententia Leſſingii, Mortem et ſomnum exprimunt, quod pedes habent tranſuerſim collocatos. Sed nullum hic uideo plane diſcrimen, quod tamen Pausanias obſeruat, alterum puerum nigrum, alterum album, deſcribens, eumque colorem imitari aequae facile ſtatuarios potuiſſe exiſtimauerim, ac Dianam Ephesiaſ uultu nigerimo effingi naemini (*a*), atque ipſe in Muſeo Dreſeneniſ uidiſſe recorder. Non cerno hic facem inuerſam, non urnam, non papilionem, non fertum, *χαρὰ κηρας* illos Mortis (*b*), nihilo tamen ſecius Mors erit? Tabula quinta centauroſ ſpectantur duo, quorum cuique inſidet infans alatus, tibias inſians, urceo et cornu ad pedes proiecſtis. Et hi ſunt Mors ac ſomnus! At pedes habent ſeiunctos, non tranſuerſos, princeps ſignum, et plurimi faciendum? Laudandus eſt tamen Leſſingius, quod uerum dicit (*c*), centauroſque ſaepe numero potiores ſtrenuos proponi concedit, idque proiecſto illo cornu, ſeu poculo, et urceo, uacuo nimirum et exhauiſto, ſignificari putat. Num hic Ameuſpus, cuius honori conſecratum eſt iſtud marmor, ſtatuarios forte fuerit, centauroſque effinxerit, aut num ſingulari muſices tibiarioſque notitia exceſſu

erit,

(*y*) Leſſing p. 9.

Ephes. p. 11.

(*z*) Montſaüc. T. CXXXIV, 3.(*b*) Leſſing p. 41.(*a*) Menetreiſ de ſtatua Dian.(*c*) Leſſing p. 43.



erit, disceptare nolim, etsi hae mihi coniecturae iam ueniant in mentem. Sed faces, non inuersae, uerum erectae, ad latus positae, nonne Lessingio incipient terrorem? Forte sponsus fuit Amemptus, incensis iam facibus nuptialibus, et patrinis matrimisque hymenaeum canentibus, epotisque multis crateribus, subita morte extinctus, priusquam somnum suauissimum caperet cum sponfa. Opinor haec, non affirmo. Multa interim omnino, a Celeberrimo Viro allata, nequaquam tanta claritate exsplendescunt, ut omnem lectoribus, antiquitatum non ignaris, caliginem dispellant, multoque illi non sint incertiores, quam ante. Quae si displicuerint Lessingio, liberrimum cuique de se iudicium permittenti (d), ipse, quae alio loco (e) tradidit, recorderetur, ubi hanc in sententiam disserit. *Prisci Mortem ut somnum, et somnum ut Mortem, uel separatim, uel coniunctim, uel aduersis, uel omnis, signis, quibus distinguerentur, sinxerunt.* Quod si iudicium meum, in hac controuersia, interponere licet, haec habeat Auctor Clarissimus, quae mentem meam anticipiter retinent, quo minus assensum ipsi praebere possim. Dubito uehementer, num Mors stans debeat effingi, eoque statu, ut cum Nepote loquar, a prisca fuerit scriptoribus formata. Aduerlatur enim omni naturae, mortuum stare, quam tamen artifices non neglexisse, sed potius summo studio obseruasse, Lessingius facile concedet (f). Vbi igitur iacent mortui, uelut somno sopitos uidere mihi uideor, non, ubi consistunt, ut athletae intrepidi et feroces, quales tamen nobis ante oculos collocat ille figuris omnibus, eleganter aere expressis. Tum uero, cum uno prope Pausaniae loco nitatur, miror, cur stantes hos genios alatos, facem inuersam gestantes, lecytho et cornu interdum decoratos, somnum Mortemque iudicet, quarum notarum omnium nullam prorsus in Pausania deprehendo. Manus enim dextra et sinistra Notis est brachium utrumque, quo complectitur pueros, iacentes in eodem, non stantes. Cubat sic somnus Ouidio (g), membris languore solutis, et apud Lochnerum (h) compluribus antiquis monumentis, non pedibus consistit. Quae cum ita sint, dubius profecto haereo, an statuis illis somnus declaratur. Sed dabo hoc, quod homines stantes interdum transuerfint positos pedibus dormitant, nunquam dabo, stantem eiusmodi genium Mortem designare, propterea quod ridiculum est, defunctum hominem talis consistentem cogitare. Interim illud haud praetermittendum erat a Lessingio, sed accuratius explicandum, diuersa ratione considerari Mortem posse. Significatur enim, (ut

(d) Lessing praefat. p. 3. 4.

(e) Lessing p. 50.

(f) Batteux Einschraenkung der schoenen Künste I. 3. p. 20, not.

(g) Ouid. Met. XI.

(h) Lochner de papauere p. 159, 165, 166, 171, 172.

( ut terminis utar receptis ac uulgatis ) uel actus mortis uel status. Illum dico, cum homo, uiribus debilitatis omnibus et fractis, animam efflat, spiritumque reddit, idque si placide, et sine ulla membrorum contortione, fiat, tum Mortem illam somno, uel genio alato, inuersam facem gerenti, non tamen stans, assimilari posse, concedo. Quod si statum mortis respicio, hunc uel proximum intelligo, uel remotum. Proximum dico, ubi mortali quidem statione defunctus est homo, sed nondum corruptionis quid sensit, tumque iterum dormienti, sed iacenti, non pedibus consistenti, similem fingi posse libentissime largior. Sed, si statum mortui remotum, seu illum, quo iam membra, putredine confecta, collabuntur, nihilque, nisi ossa, remanent, cogitatione complector, equidem non perspicio, hic tam turpis, tam teter, tam horribilis, aspectus qua ratione sub imagine somni iucundissima debeat proponi. Hic sane sceleton fingendum est, et saepius fictum, ut foeditas mortuorum corporum cognoscatur, etsi neget Clarissimus Lessingius ( *i* )

Dat nobis, sceleta in monumentis sepulchralibus reperiri, sed ea, inficiatur, Mortem denotare, quod antiquitas non sit iudicio nostrorum hominum metienda, qui sceleton Mortem proponant ( *k* ), quod a poetis haud tam terribili imagine fingatur ( *l* ), quod *κρη*, non *θάνατος*, hanc speciem praebuerit horribilem ( *m* ), quod Euphemismum amauerint prisca ( *n* ), quod sceleta, in picturis antiquis obuia, non Mortem, sed laruas, hoc est, animas improborum ubique errantes, aliosque terrentes, indicent ( *o* ), postremamque sententiam duobus Senecae et Petronii testimoniis corroborare studet. Breuiter hanc opinionem explorabo, folius, ut ante iam confirmaui, ueritatis amore ductus, Primo, num nihil ueteres eo modo, quo nos adhuc fingimus, finxerunt? Ut unum Bacchum, quem ipse citat Lessingius ( *p* ), attingam, nonne et sic prisca artifices, ut nostri, nempe obelum, et inflato uentre, ( *q* ) subiiciunt oculis spectandum? Mortem igitur, seu statum Mortis remotum, si perpendimus, ut natura iubet, sceleton cogitamus, tumque artifices antiqui, naturam inprimis aemulantes, haud aliter concipere poterant animo, praesertim Graeci et Romani, qui non, ut Aegyptii, ungebant cadauera, eamque ob rem saepe numero sceleta uidebant. Deinde Poetae actum plerumque Mortis, non statum, et, si hunc interdum, proximum tamen, non remotum, descripserunt, ideoque sceletonum fortasse nunquam meminere. Quod si,

( *i* ) Lessing p. 3 sq. p. 51, sq.

( *k* ) Lessing p. 55.

( *l* ) Lessing p. 56. sqq.

( *m* ) Lessing p. 61. sqq.

( *n* ) Lessing p. 65.

( *o* ) Lessing p. 67, sqq.

( *p* ) Lessing p. 55.

( *q* ) Beger Spicileg. Antiquit. p. 161



fi, ut ipse praecipit Lessingius (r), poetarum fictionibus artificum opera di-  
iudicare non licet, argumenti huius imbecillitas haud difficulter cognoscetur.  
Tum, quod religiosissime putat Lessingius obseruandum, discrimen inter  
κῆρα et Θάνατον, haud adeo est sanctum, ut uiolari non possit. Hefychius κῆ-  
ρα, Θάνατον, exponit. Artemidorus consentit (s): Τὸν Θάνατον κῆρα κα-  
λῶσιν οἱ ποιηταί. Hinc κηρεῖαι fasciae sepulchrales Hefychio, ut constat (t).  
Hinc ἀνήριοι iidem qui ἀθάνατοι, Phocylidi, aliisque poetis. Nec uero Le-  
thum et Mors distinguuntur semper a scriptoribus orationis ligatae. Virgilius.  
(u) *Ei consanguineus Lethi sopor.* Quosque mille modos Lethi dixerat Sta-  
tius, hos Seneca (x) multas Mortis uias appellat. Neque Θάνατος semper  
de naturali adhibetur Morte, quod miror a Lessingio dici, toties ad Homerum  
prouocante. Recte igitur ab Illustri Klotzio allegatus Pausaniae locus, qui κῆ-  
ρα terribilem in modum proponit, deformem Mortis imaginem iam a uete-  
ribus expressam fuisse, demonstrat, ita ut nemo amplius iure possit dubitare,  
si ueri declarandi studio, non repugnandi cupiditate, teneatur. Euphemi-  
smum amarunt prisca, quod non nego, sed num poetae huic studuerint, si Mor-  
tem, pallidis auidam dentibus, auidos oris hiatus pendentem, cruento ungue  
notantem homines (y), descriperunt, iudicium Lessingius ipse ferat. An uero  
semper obdormiisse homines, nunquam, mortuos esse, occubuisse fati, ad inferos  
descendisse, uictimas orei nil miserantis, dixerunt? Artifices quidem perpetuo  
huius studiosos Euphemismi extitisse si crederem, oculis me captum pro-  
fiterer, ob eamque rem commemorabo tetras aliquot figuras, in ipsis mo-  
nimentis sepulchrorum obseruatas. Rapit Pluto Proserpinam uultu tam ter-  
ribili, ut aspicere uix possit (z), apparent capita bubula, effossis oculis, resectis-  
que rostris (a), truncus hominis cum brachiis duobus (b), ut alia apud Mon-  
tesalconem praetermittam (c). Iam sceleta occurrunt his signis, quorum  
magnam adduxit copiam Lessingius, iisque addo caput mortui exangue, tor-  
ridum, et horrendum, apud Bartholinum (d) et Lochnerum maxime, (e),  
quorum posterior exhibet in gemma quadam papilionem, papauer, lecythum,  
rotam, et in medio caput mortui, foedum uisu. Postremo sceleta laruas,  
hoc est, animas improborum, defunctorum uita, repraesentare dicuntur a

Lessingio

(r) Lessing p. 58, 59.

(s) Artemidor. l. 89.

(t) Cf. Croesii Homer. Hebraiz. p. 288.

(u) Virg. VI, 277.

(x) Senec. Controu. III. 16.

(y) Lessing p. 56.

(z) Boissardus Tab. LXXXV

(a) Boissard. Tab. LXX.

(b) Rossi Memorie Bresciane p. 29.

(c) Montfauc. Tab. CXXXXVI,

6. CXXXXVI, 1. CXXXX, 4.

(d) Barthol. de puerper. p. 167.

(e) Lochner de papau. p. 182.



Lessingio, ad eamque rem demonstrandam duo scriptores, Petronius, et Seneca, citantur. Generatim hic quaedam obseruanda ducimus, ut Viri Celeberrimi mentem perspicimus accuratius, neque saltem ipsi sententiam tribuamus. Facit nimirum hanc summam cogitationum suarum. Omnis larua est anima impii mortui, omne sceletum est larua, omne igitur sceletum est anima improbi defuncti. Propositio disertis uerbis in Lessingio (*f*), assumtio itidem, (*g*) inuenitur. Sed quis propositionem Viro Doctissimo praeter controuersiam largietur, cum satis constet, plurimum generum fuisse laruas, ut Mariscottus et Bergerus, de personis exponentes, copiosissime tradiderunt. Num enim omnes laruae, in comoediis adhibitae, improborum animos denotarunt, praesertim si cum cothurnis essent, ut apud Horatium (*h*), coniunctae. Labat hic totius ratiocinationis fundamentum, quod firmiter poni debuisset, ne quo concuteretur motu. De assumptione statim uidebimus. In conclusione autem amphibolia latet, quoniam copula, *est*, uel declarat, uere extitisse sceletum improbi animam, uel, adumbrasse modo. Si prius, fallitur Lessingius, quis enim has laruas, in conuiujs Aegyptiorum, aliorumque populorum, propositas, animas sibi persuadebit ipsas fuisse, sin posterior, quod ipse concedit (*i*), alius uoci huius sensus in conclusione tribuitur, atque in propositione, et sic quatuorprehenduntur termini, quod Dialectici non estingerit censuram. Sed, si haec nimis scholam sapere uideantur, ad assumptionem transeamus. Nunquam ego haec sceleta explicauerim laruas, propterea quod haud tam absurdos fuisse profanos existimo populos, ut haec ossa, inter se connexa, quae, consentiente Lessingio, in compluribus monumentis sepulchralibus extant, animas suorum propinquorum, ad oreum detrusas, suppliciiisque mactatas, uoluerint designare. Num enim id honoris fuit ipsis, num sibi, haec proponentibus, si eos, quorum sceleta figurarant, iam poenis exagitari grauissimis furiisque putassent. Num apud Petronium, de quo statim plura, omnes conuiuiae hos cruciatus, hanc impiorum hominum fortunam, se subituros, crediderunt, quoniam omnes fore tales confirmant? Consideremus age testimonia Senecae et Petronii, quae, si accurate ponderentur, nullum sane opinioni Lessingii robur addunt. Habes Senecam (*k*). *Nemo tam puer est, ut cerberum timeat, et tenebras, et larnarum habitum, nudis ossibus cohaerentium.* Loquitur de spectris et fabulis post mortem, quibus sacerdotes plebeiiorum terrebant mentes, ideoque Ixiona, Sisyphum, eosque, paulo ante rider, qui phasmatata eiusmodi, nudis ossibus cohaerentia, apparere interdum arbitrentur. Tale

(*f*) Lessing p. 67. 69.

(*g*) Lessing p. 72.

(*h*) Horat. I Sat. 5.

(*i*) Lessing p. 69.

(*k*) Senec. ep. 24.



etiam Plinius (l) describit, *idolum senex, macie et squalore confectum*, tale carmina Priapeia (m), pallorem maciemque larvalem memorantia, tale Sidonius (n), larvales umbras recensens. Sed, si quaedam larva est sceletum, num omne sceletum est larva? Desidero hic *ἀρπίστειαν*, cum duae res inter se permisceantur, quae fecerni potissimum debebant. Notat enim larva saepe numero foedum, et terribile, quale est sceleton, haud sane aspectu iucundum. Sic misera ac larvata funera lapis literatus loquitur apud Kirchmannum, (o) id est, ruina aedium nimis deformata, et sceletis similia quàm vivis. Addo locum egregium Apuleii (p). *Macilenta, vel omnino eviscerata, forma divi cadaueris, fabricata profus horribilis et larvalis*. Imo vero, cum Seneca ea rideat, quae plane contingere non posse profitetur, sceleton profecto non intelligit, quia tale hominem et posse existere, et re ipsa fieri, nemo facile hominum, nisi cum ratione insanire velit, insitari audebit. Nihil igitur valet hic locus, de spectris agens, non de vero corporis sceleto, illudque spectrum si neges, non statim sceleta, putrescentis nempe reliquias corporis, poteris in dubitationem uocare. Iam ad Petronium accedamus, cuius verba ita se habent (q). *Potantibus larvam argenteam attulit feruus, sic aptam, ut articuli eius vertebraeque locatae in omnem partem scelerentur. Hanc cum super mensam semel iterumque abiecisset, et catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adiecit, heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est, sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus*. Ego hic nihil uideo, quod Lesslingii tueatur coniecturam. Proponitur larva argentea, sicut apud Aegyptios cadauer, de quo statim, et Trimalcio, conspectu eius territus, querimoniam habet tristissimam, quam totus homuncio nil est, eaque re membrorum omnium dissolutionem, qua facta, nihil, nisi ossa, relinquuntur, respicit, talesque fore omnes admonet contiuas. Sic erimus cuncti, clamat. Num vero cuncti hi conuiuiae se improbos, num omnes se ad impiorum numerum apud inferos aggregatum iri, contendebant, idque summa cum animi uoluptate? Quod si hoc fuerint sensu, nihil sane ineptius his cogitari potuisse hominibus arbitror, qui tamen se prudentes ac philosophos iactarent. Repraesentabat igitur haec larva corpus mortui, de quo nihil, nisi sceleton, nisi ossa, exiguo post tempore, supersint, itaque Mortem, eiusque statum remotum, designabat. Fuit enim hic mos Aegyptiis (r), ut circumferrent inter prandendum *νεκρὸν ἐν σορῶ ἑύλων πεποικημένον, μεμιγμένον*

(l) Plin. VII. ep. 27.

(m) Priap. carm. 32.

(n) Sid. Apoll. III, 13.

(o) Kirchmann. de funer. II, 9.

(p) Apuleius oper. p. 314.

(q) Petron. p. 19.

(r) Herodot. II, p. 133.

γυένου (lege *αεμιμημένον*) γραφῆ καὶ ἔργω, et hoc cadaver ostendens cuique feruus tandem dicebat, *ὄς ἴδῳν ὀρών πίνε καὶ ἴερα, ἔσσαι γὰρ ἀποθανών Ἰοῖ-Ἰλος*. Habes sceletum, nam sic a Plutarcho (s) disertis uerbis appellatur, imaginem Mortis, quam mortui deinceps praebeant, omni carne nudati. Confirmat pariter Lucianus (t). *Οὔλος μέγιστος, (Αιγύπτιος) λέγω δε ἰδών, Ξηράνας ἴδον νεκρὸν σὺνδειπνον καὶ συμπόην ἐποίησατο*. Vides cadaver, sed uerum, non laruam, torrefactum nempe corpus seu sceletum, ut Hesychius et Suidas interpretantur. Ille quidem *σκελέσαι* explicat *Ξηραίνει*, hic autem *σκελέος, ὁ Ξηρός*. Comprobat pari ratione Plutarchus (u). *Ἄυδος δε κέ-σαι σκελέος, καὶ μηδὲν γενόμενος*. Quibus ex omnibus fatis apparet, falli magnopere Lessingium, sceleta haec in solis laruis numerantem, rectiusque eos sentire, qui, cum Eruditissimo Klotzio, Mortem hac imagine terribili ab antiquis propositam, arbitrentur

Quem adhuc considerauimus breuiter Cultum Mortis, sanctiora oracula quodammodo confirmant, Dauides maxime, piorum Mortem, testificans, magni ab ipso Deo aestimari (x). Egregia uero uox et augusta, quae discessum animi a corpore et statum haud indignum haberi comprobat, cui prospiciat Numen Summum, non uiuentium modo, sed etiam mortuorum, diligentissimam curam gerens. Quid igitur mirum, si Mortes primorum testimonium religionis Christianae, nullos qui metuerant dolores, nullos reformidauerant cruciatibus, sed sanguinem suum uitamque alacritate incredibili profuderant, iucundae fuerint Deo, ex iisque singularem hic perceperit uoluptatem, propterea quod, et suam augeri gloriam, et doctrinae purioris firmitatem stabiliri, et aliorum salutem hominum amplificari, uideret. Haec est Mors illa, qua illustratur nomen diuinum (y), quod Petri imprimis supplicio futurum cecinerat Seruator, ipse pro nobis uictima orci factus, summumque ea re Morti concilians honorem, quoniam Deus moritur, non nudus homo, quicquid alii in hac dictione reprehendere sibi uideantur, effatis maxime contentanea diuinis. Sed imaginem etiam Mortis reliquit, tam aspectu iucundam, tamque gratam, ut ea delectari satis non possimus, dum eius quidem uim omnem acerbitemque sensit, sed hoc sensu robur ipsi ademit et terrorem, ut non amplius moriantur Christo dediti, sed obdormiant, somnoque iucundissimo sopiantur. Iam uere Mors nostra est somnus, eiusque sceleton haud nostros a se auertit oculos, sed conuertit in se, ut studiose summa-

C 2

que

(s) Plutarch. conuiu. sept. sap. p. 148. (x) Pl. CXVI, 15.

(t) Lucian. T. I, p. 394.

(y) Ioh. XXI. 19.

(u) Plutarch. Anton. p. 950.

OK Th 819

Y 3376860

XX



que cum animi uoluptate contemplerur, ex quo nostrum aliquando restitui corpus, corporique Seruatoris assimilari, speramus, ino confidimus, omni dubitatione abiecta. Hanc nobis fiduciam peperit Triumphator Mortis, reditu suo in uitam lactissimo, quem cum Iuuenis Ornatissimus

CAROLVS GODOFREDVS MEYER Geran.

industria; cedens nemini, et egregie proficiens, pluitibus exinde demonstrare susceperit, quod aduersariis suis se praeberit spectandum, CVRATORES ILLVSTRIS RVTHENI SVMMI VENERABILES, omnesque reliquos Factores et Amicos, demississime obseruantissimeque rogamus, ut oratorem hunc praesentia sua honorifica et attentione dignentur, P. P. Geræ a. d. XVI, Cal. Maj. A. R. S. MDCCCLXX.

Emendanda

Pag. IV. L. 31. ante uocem, Gadium, - omisam supple: notis. p. XI. L. 16. post uocem, ille, dele comma, ut leuora transeamus.

GERAE,

EX OFFICINA ROTHIANA.




166

II h  
819

Inches  
Centimetres  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

B.I.G.

Farbkarte #13



VLTVM  
RTIS  
IMAGINEM  
QVITATE DECLARAT  
ET  
RATIONEM  
IN MEMORIAM  
ORIS REDIVIVI  
HABENDAM  
NTISSIME INDICIT  
AVGVSTVS ZEIBICH  
VTHEN. PROFESS. PVBL.



XXIV, 19, a.